



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Silvinvs Presbyter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. SILVINVS

PRESBYTER.

Anno Christi,
CCCC.LX., circiter.
^a Scholiasies Eugippij
ad Lectorem.
^b In vita S. Severini.
c. 16.



Itinerar.

^a Cluver. Vindel. p.
29. S. 1. & 3.
^b Appian.
^c In vita S. Severini.
c. 15.

^a Ad Cap. 25.

Vm ex magno, vetusto & nobili scriptore Eugippio^a passim viris doctis laudato certò^b constet, B. Siluinū presbyterum caelestibus accensum, simulque ex eodem discamus, eundem beatum virum in Boiaria Quintanis egisse & vixisse; ritè facturus videor, si & huius Diui memorias volumini huic inferam. Egit Siluin⁹ presbyter in Boiaria castello seu vico Quintanis seu Quintanicis. Quintiana castra olim dicta sūt apud Antoninū. Quintana in Notitia appellatur, & vox (castra) prisco more reticetur, sicut in alijs Augusta seu Augustana, Regina, Batava, vbi semper vox castra desideratur, & vsu intelligitur. Est vicus haud procul Danubio è regione Hofkirchen infra opidum Petrense seu Osterhofen. ^a Mansit loco hodièque ab allusione nominis Kunzen^b. Locum ipsum Eugippius^c ipse accuratè descripsit, Quintanis, inquit, appellabatur secundarum municipium Rhatiarum super ripam Danubij situm; huic ex altera parte parvus fluvius Quintana nomine propinquat. Ad quem locum Scholiasies Eugippij^a Antoninus Quintanis. Notitia praefectum ale. 1. Flavia Rætorum ibi collocat: Kunzen Auentino & Lazio, quibus haec tenus accedo. Siluinum Lazi- us Episcopum creat, eundemque per S. Severinum: cum nec Episcopus nec Abbas fuerit, vti Eugippij Scholiasies docet. Siluini facta gesta que per vitam in obscuro sunt mors viri illustrior, eandem reddit illustriorem. De morte ergò hæc Eugippius, Accidit autem vt castelli presbyter memorati, admodum venerabilis, Silvinus nomine, moreretur, & cum in Ecclesia feretro posito noctem psallentes duxissent ex more per uigilem, iam crescente diluculo rogauit vir Dei fessos presbyteros & diaconos vniuersos parumper abscedere, vt post laborem vigiliarum somno se aliquantulum recrearent. Quibus egressus Dei homo Ostiarium Maternum nomine, interrogat, vtrum omnes, vt dixerat abscessissent? at illo respondente, cunctos abiisse, nequaquam, ait, sed latet hic quidam. Tunc ianitor Ecclesiae secundo per- lustrans, nullum intra eam mansisse testatur. Verùm Christi miles, Domino sibi reuelante, nescio quis, ait, hic delitescit. tertio itaque diligentius perscrutans quandam inuenit virginem consecratam locis se occultioribus abdidisse. Hanc ergò memoratus sic increpauit edituus, Cur istuc famulo Dei posito tuam credi- deris latere potuisse praesentiam? at illa, pietatis, inquit, me amor talia facere persuasit, videns enim cunctos foras expelli, putavi mecum, quod seruus Christi

in uocata

inuocata diuina maiestate presentem mortuum suscitaret. Exeunte igitur memorata virgine homo Dei cum presbytero & diacono ianitoribusque duobus in oratione curuatus postulauit fletu largissimo, ut opus solita maiestatis diuina virtus ostenderet. Tunc oratione completa à presbytero ita cadauer vir beatus alloquitur, in nomine Domini nostri Iesu Christi sancte presbyter Siluine, loquere cum fratribus tuis. & subito oculos defunctus aperuit. vix verò presentibus homo Dei tacere præ gaudio persuasit; & denuo ad eum, vis, inquit, rogemus Dominum, ut te adhuc seruis tuis in hac vitâ condonare dignetur? at ille ait, per Dominum te coniuro, ne diutius hic tenear & frauder quiete perpetua, in qua me esse jam cernebam. Statimque reddita oratione quieuit exanimis. Hoc autem factum S. Seuerini adiuratione ita celatum est, ut ante mortem eius non potuisset agnoscere: ego tamē hac quæ retuli, Marci subdiaconi & Materni ianitoris relatione cognoui. Nam presbyter & diaconus tanti testes miraculi, ante S. Virum, cui iurauerant, nulli se quod viderant prodituros, obijisse noscuntur. Cæterum similia Diuorum exempla de reuocatis è cælo in vitam Diuis, cognoscas in primo volū. Viridarij nostri, quod ex Menæis excerptimus ad diem IV. Cal. Maias de milite Carthaginensi in Notis siue annotationib. vbi copiosè, de reditu animarum seu beatarum seu damnatarum in corpora. ex Tostato (Lib. 4. Reg.

c. 4. q. 56. Greg. de Val. Tom. 4. disp.

II, q. I. p. 2.) disputatur.



B. MAR-